



Iordanus natione Saxo in sacris literis optime exercitatus, atq; insigni eloquentia præditus fuit. Unde prece uerbi Dei existens, multos à uitijs ad uirtutes conuertit, alios uerò suo exemplo & moribus sanctis ad pietatem pellexit. ita ut ubiq; terrarum ob mirabiles uirtutes notus fuerit. Hinc factũ, cum S. Dominicanus ordinis prædicatorum fundator obiisset, ut statim hic Iordanus, totius ordinis cõsensu, magister generalis creatus fuerit. Scripsit postea plures exhortatorias Epistolas atq; sermones ad populum, præterea librum de ordinis institutione, sub Friderico 2. Imperatore, anno 1225. Is etiam monachis silentium mensæ instituit, atq; assiduas ad Deum preces omnibus alijs negotijs prætulit.

Tandem uerò Iordanus sepulchrum Domini petere statuit. uerũ inter eundem in mari interiit. Corpus eius ad littus eiectum, atq; ibidem tumulatum fuit. Ipse uerò

inter beatos connumeratus. Volat. lib. 21. Anthropologia, Trit.